

unum vel plura super hiis conficeremus instrumenta plenariam fidem faciencia hic et ubicumque locorum coram quibuscumque. Acta sunt hec anno, indictione, mense, die, pontificatu, loco et hora quibus supra, presentibus discretis et attentis viris Nicolao de Stendal, baccalario arcium liberalium dyocesis Halbirstattensis, Petro Swanfelt, clerico dyocesis Warmiensis, et Petro Sidenberg, dyocesis Pragensis, testibus ad premissa specialiter 5 vocatis et rogatis. Et ego Nicolaus Hütter de Kempnicz, clericus Misnensis dyocesis, publicus sacra imperiali auctoritate notarius, quia predictis magistri Henningi constitutioni, presentacioni et commissioni ac aliis omnibus et singulis suprascriptis, dum sic agerentur et fierent, unacum prenominitis testibus presens interfui eaque omnia et singula sic, ut premittitur, fieri vidi et audivi, supradictas litteras papales fideliter propria manu transu- 10 mendo ideo in hanc formam publicam redegi meque hic subscribendo signo et nomine meis solitis signavi rogatus et requisitus in evidens testimonium omnium premissorum.

2.

Sequitur transsumptum super prebendis in ecclesiis Misnensi, Numburgensi et Ciczensi. 15

Notariatsinstrument über die Transsumierung der Bulle, durch die Papst Johann XXIII. der Universität je zwei Präbenden in den Stiftern Meißen, Naumburg und Zeitz verleiht.

Leipzig, 1413 September 12.

In nomine domini Amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo quadringentesimo terciodecimo, indictione sexta, mensis Septembris die duodecima, hora vesperorum vel 20 quasi in cenaculo estivali habitacionis venerabilis viri domini Nicolai, prepositi canonicorum regularium monasterii sancti Thome in Lipczk Merseburgensis diocesis, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Iohannis divina providencia pape vigesimi tercii anno quarto in mei notarii publici subscripti testiumque infrascriptorum presencia nomine universitatis studii Lipczensis personaliter constituti illuminati venera- 25 biles viri domini magister Iohannes Hoffman de Swydnicz, in sacra theologia licenciatus, rector universitatis studii Lipczensis, magister Iohannes de Monstirberg, sacre theologie professor, magister Iacobus Radewicz de Ihenis, in iure canonico licenciatus, magister Petrus Storch, in sacra pagina licenciatus et baccalarius in decretis, et magister Vincencius Grüner de Czwickavia maioris collegii studii Lipczensis collegiati prenominitus magister 30 Iohannes Hoffman, rector universitatis predictae, pro se, dictis magistris sibi astantibus ac tota universitate studii predicti quasdam litteras apostolicas graciosas sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Iohannis divina providencia pape vigesimi tercii, eiusdem domini nostri Iohannis pape vera bulla plumbea in zona sericea more Romane curie bullatas non viciatas, non cancellatas nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus 35 vicio et suspicione carentes exhibens et in medium producens venerabili et religioso viro domino Nicolao, preposito canonicorum regularium monasterii sancti Thome ordinis beati Augustini in Lipczk Merseburgensis diocesis, humiliter presentavit debita petens cum